



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XXV. De Jejunio recipiendæ sacræ Synaxi præmittendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155

sunt notabiliter mutata circumstantia ergo &c. Prob. maj. obligatio voti dependet ex intentione voventis hic autem non censetur voluisse se obligare etiam postquam notabiliter fuerint mutata circumstantia: ergo &c. Resp. dist. maj. notabiliter mutatis circumstantiis, quae spectant ad essentiam rei promissae cessat obligatio conc. major. quibuscunque aliis circumstantiis accidentalibus notabiliter mutatis, licet maneat inviolata

substantia promissa, cessat obligatio. neg. maj. & dist. minor. Sed in dato casu mutatae sunt circumstantiae essentiales rei promissae nego. accidentaliter duntaxat salva manente substantia rei promissae. conc. min. & nego conseq. Tunc fuerunt mutatae notabiliter circumstantiae secundum intentionem jurantis, quando illud, quod vovendo in mente habuit, non amplius se taliter habet a parte rei, quod tamen hic non contingit.



Casus XXV.

De jejunio recipienda sacra Synaxi praemittendo.

Emerentiana in Festo Purificatae Virginis volens suscipere sacram Synaxim meminit se praecedente nocte haustum aquae accepisse: eum autem nesciret, num ante, vel post auditam horam duodecimam no-

cturnam id contigerit, hinc ex Confessurio

Quaerit, utrum sibi in hoc casu licita sit sacra communio.

Synopsis.

§. I.

Affe-

Afferuntur rationes volentium dubitantem, num adhuc sit jejunus à sacra Communione arcendum.

1. Dubium, num aliquis adhuc sit jejunus potest esse duplex.
2. Dubitans, aliquam, vel nullam rationem, quòd adhuc sit jejunus, habere potest.
3. Dubitans videtur à sacra Communione excludendus, quia lex prohibens illam non jejunio est in possessione.
4. Et quia dubitat, num sit dignus.
5. Hæc conditio est qualitas ad sacram Synaxim recipendam requisita.
6. Esse jejunum à culpa in anima, & à cibo in corpore est fundamentum exigentis sacram Synaxin.
7. Matrimonium, ut inire possis, non sufficit, quòd dubites de impedimento.
8. Dubius, num grave peccatum ante vel post acceptum

Baptismum commiserit, tenetur hoc confiteri.

§. II.

Afferuntur rationes licentiam sacre Communionis in tali dubio concedentium.

9. Quilibet Christianus talem libertatem retinet.
10. Licet etiam die Jovis comedo noctu carnes, etsi dubitem, num hora duodecima jam sonuerit.
11. Accedit, quòd lex ista non sit pro illo tempore in possessione.
12. Insuper conjux petere debitum possit, si facta diligentia dubium de valore sui matrimonii deponere nequeat.
13. Jus etiam certum cuilibet, nisi sciat sibi esse prohibitum, ad sacram Communionem competit.
14. Aptitudo ad sacram Synaxin recipendam videtur esse in possessione.
15. Sciens se heri non fuisse irregu-

- regularem, & hodie de hoc dubitans, non debet se ut irregularem gerere.
16. Facta etiam non præsumuntur, sed probanda sunt.
17. Ordines sacri in dubio irregularitatis etiam recipi possunt,
18. Lex hæc Ecclesiastica tam strictè non obligat.
19. Juxta multorum DD. sententiam,

§. III.

Respondetur ad modò propositas rationes.

20. Christianus suam dignitatem debet probare.
21. Lex præcipiens jejunium istud naturale non tollit ullam libertatem.
22. Dubitans de valore sui matrimonii non amittit jus suum, quia hoc est justitiæ.
23. In volente sacram Synaxin suscipere exigit Ecclesia qualitatem jejunii naturalis.
24. Nulla qualitas per se non existens supponitur adesse.
25. Jura decernunt in dubio

- non esse locum irregularitati,
26. Fundamentum suæ intentionis cuilibet est probandum.
27. Decisio hujus controversiæ ex quonam sit desumenda.

§. I.

Afferuntur rationes volentium dubitantem à sacra Communionis excludendum esse.

Primò sciendum, posse aliquem dupliciter dubitare de hoc, utrum sit adhuc jejunus. Primò, ut de ipsa comestione, vel potu, utrum intervenerint, dubitet, ut, quando aliquis dubitat, utrum non pauca aliqua guttæ aquæ in stomachum demissæ fuerint, quando manè os eluerat. Dein potest aliquis certus esse, quòd aliqua comestio vel potus intervenerit, dubitare autem, utrum ante vel post horam duodecimam noctis ista contigerit.

Secundò sciendum, ipsum dubitantem posse habere aliquam vel nullam prudentem atque pro-

probabilem rationem judicandi, quòd adhuc sit jejunus, quòd si absolute judicare possit prudenter, se adhuc jejunum esse, licet cum formidine oppositi, juxta communiorem ad sacram Synaxin accedere poterit. Quòd si tale judicium formare nequeat, non posse eundem accedere tuerentur Thomas Sanchez l. 2. de matrim. disp. 41. n. 7. Villalobos tract. 1. disp. 21. n. 7. Sales de conscientia sect. 25. n. 264. Palao de conscientia dubia disp. 3. p. 8. n. 9. & juxta hunc Authores communiter moventur sequentibus rationibus.

- 3 1. Lex præcipiens naturale jejunium volenti communicare est in possessione: ergo, quicumque vult communicare, debet posse prudenter judicare, quòd adhuc sit jejunus, cum manente dubio melior sit conditio possidentis; atqui dubius non potest, uti ponitur, prudenter judicare, quòd sit jejunus: ergo non poterit communicare. Prob. primum antec. præceptum sumendi Eucharistiam jejunè semper obligat, & ex parte volentis communicare nulla datur possessio præcepto antecedens: er-

go ista lex est in possessione. Prob. nunc etiam primi entymematis consequentia. Qui vult communicare, & nec judicat, nec potest prudenter judicare, an adhuc sit jejunus, ille dubitat, an non violet communicandò istud præceptum: ergo, qui vult communicare, debet posse prudenter judicare, quòd adhuc sit jejunus. Prob. antec. dubitat, an sacram Synaxin accedat non jejunus, & scit, quòd accedere non jejunum sit violare hoc præceptum: ergo dubitat, utrùm non violet legem prohibentem accedere non jejunus. Subsumunt; atqui nunquam est licitum agere in dubio de violatione præcepti: ergo neque erit licitum communicare: ergo debet prudenter posse judicare, quòd adhuc sit jejunus.

Confirmatur: Quando aliquis noctu diem Veneris præcedente dubitat, utrùm audita fuerit hora duodecima, potest ille comedere carnes, quia non constat, an pro tunc detur præceptum abstinendi à carnibus, & quia consequenter est ipse in possessione; non autem ideo, quia est dubium, an excusetur à

præcepto, quod constat dari: ergo ex opposito quando constat dari præceptum, est autem dubium, num aliquis sit exemptus, tunc præceptum erit in possessione, nec aliquis erit exemptus à lege, quando dubitat, num sit exemptus.

4. 2. Non potest ad sacram Synaxin licitè accedere, qui dubitat, an sit dignus. Sed qui dubitat, utrum sit jejunus, dubitat, utrum sit dignus: ergo non potest licitè accedere. Prob. min. ad hoc, ut aliquis sit dignus, inter alia requiritur, ut sit jejunus: ergo, qui dubitat, num sit jejunus, dubitat, utrum sit dignus. Prob. maj. quoque prioris syllogismi. Solus dignus potest accedere licitè: ergo qui nō probat se esse dignum, sed de hoc dubitat, non potest licitè accedere sacram Synaxin.

Confirmatur. Quia ex mente D. Pauli, ut aliquis sit dignus accipere hoc Sacramentum, inter alia requiritur, ut peccatum grave à se commissum aliquis confiteatur, ideo non potest ad sacram Synaxin accedere, qui certus est, quod mortale commiserit, dubitat autem, utrum in pro-

xima confessione explicaverit, vel non? ergo, cum etiam adhuc, ut aliquis sit dignus, requiratur, ut sit jejunus, non potest accedere, qui dubitat, an sit jejunus. Prob. conseq. ideo prius requiritur, quia confessio talis peccati est necessaria ad dignitatem, & nemo nisi dignus potest accedere: sed etiam requiritur, ut sit jejunus: ergo &c.

3. Quando ad receptionem certæ gratiæ ex parte recipientis requiritur certa qualitas, quæ non inest per se cuilibet homini, tunc ad recipiendam ejusmodi gratiam est necessarium, ut possessio talis qualitatis à volente recipere talem gratiam probetur, sed ut recipiatur Christus in Sacramento, requiritur, ut aliquis sit jejunus, & hoc jejunium non est qualitas, quæ inest cuilibet homini per se: ergo hujus qualitatis seu jejunii possessio debet probari à volente accipere hanc gratiam. Major prob. in Canonicatibus Cathedralibus, qui exigunt gradus Doctoratûs, vel avitam nobilitatem.

Ad hoc argumentum repouunt Adversarii: quilibet homo est per se tamdiu jejunus, quamdiu

diu nihil cibi vel potûs accepit: ergo potest supponere se esse jejunum, quamdiu probare non potest, quòd aliquid comederit, vel biberit; sed quamdiu dubitat, utrùm aliquid acceperit, tamdiu non potest judicare, quòd aliquid acceperit: ergo potest supponere se esse jejunum. Ad hoc respondeo, ex eo ad summum probari, quòd liceret accedere ad sacram Synaxin, quando simpliciter dubitatur de comestione aut potu: non autem evincitur, quòd possit accedere, si certus est, quòd comederit, nesciat autem, num ante vel post mediam noctem.

6 4. Fundamentum exigentis communionem ab Ecclesia est, esse jejunum à culpa in anima, & à cibo ac potu in corpore: ergo quamdiu aliquis non probat hanc utramque immunitatem, tamdiu non potest exigere Communionem. Prob. conseq. juxta legem & quis dicit ff. de probationibus. Legem Actor. quod assererat. Cod. eodem. Legem qui accusare. Cod. de edendo. debet unusquisque probare fundamentum suæ intentionis, alias succumbet: ergo &c. Idipsum tu-

entur Decius *Consil.* 564. num. 1. Socin. junior *Consil.* 12. n. 3. lib. 1. & aliis relatis Masiardus de probat. Verbo *qualis comple.* 253. & 4.

5. Et si cuilibet liceat inire 7 matrimonium, si non habeat impedimentum, ad hoc tamen, ut illud ineat, non sufficit, quòd dubitet de habentia impedimenti, sed debet probare, quòd non habeat: ergo etiam, ut aliquis licitè sacram Synaxin accipiat, non sufficit, quòd dubitet, an habeat impedimentum, sed debet probare, vel judicare quòd illud non habeat.

Confirmatur: etiam præsumitur quilibet non habere impedimentum matrimonii, & tamen nulli licitum est in dubio contrahere: ergo licet quilibet præsumatur esse jejunus, si adhuc nihil sumpserit, si tamen de hoc dubius est, non potest accipere sacram Synaxin.

6. Quando aliquis post ac- 8 quisitum usum rationis fuit primum baptizatus postea autem meminerit, alicujus peccati gravis certò à se commissi, dubitat tamen, utrùm illud ante vel post Baptismum commiserit, tunc est obligatus ad illud confitendum,

I i 2

quia

quia datur lex obligans omnem baptizatum, ut à se commissa peccata exponat exceptis illis, quæ ante Baptismum commisit: ergo etiam debet abstinere, qui scit, se aliquid sumpsisse, vel nescit, utrum ante, vel post mediam noctem comederit. Prob. conseq. ideo in casu antecedentis tale peccatum est exponendum, quia lex obligat omnem baptizatum ad commissa peccata exponenda, nisi sciat, illa ante Baptismum fuisse commissa. Sed etiam lex Communionis obligat omnes, ut abstineant, nisi sciverint se à media nocte esse jejunos: ergo si hoc non sciant, non possunt accedere.

Hactenus allata rationes probant, quòd non liceat sacram Synaxin accedere, sive dein dubitetur de ipsa actione, sive de tempore, in quo actio in se certa commissa fuit.

§. II.

Afferuntur rationes licentiam communicandi in isto dubio concedentium.

Prima. Homo Christianus habet libertatem accipiendi sacram Synaxin: ergo si de concessione dubitet, potest communicare, quia in dubio melior est conditio possidentis.

Secunda. Qui die Jovis cenat carnes dubitans, an sit hora duodecima noctis, comedendo carnes non violat legem prohibentem comedere carnes post auditam horam duodecimam nocturnam: ergo nec de hoc dubitans comedendo violabit legem jejunium naturale pro sequenti die volenti communicare præcipientem.

Confirmatur. Si cui latum fuisset præceptum jejunandi crastina die jejunio naturali sine omni scilicet potu & cibo, is autem hodie noctu dubitaret, an sit hora duodecima noctis, & comederet, hæc comestio jejunium naturale pro crastina die impositum non violaret, & quidem propterea, quia hoc præceptum non judicatur possidere pro illo tempore, sed libertas comedendi: ergo idem de sacra Communione tenendum.

Ter-

12 Tertia. Conjux, cui dubium de valore matrimonii supervenit, & diligentia facta illud deponere nequit, potest petere debitum, quia ante hoc dubium fuit in possessione: atqui etiam noster ante hoc dubium de comestione erat in possessione communicandi: ergo &c.

13 Quarta. Quilibet habet jus certum communicandi, nisi sciat se esse ab hoc prohibitum; sed dubitans non scit, se esse prohibitum: ergo &c. Prob. min. dubitans, utrum ante vel post auditam horam duodecimam comederit, eo ipso de hoc dubitat, ergo non scit, utrum prohibeatur communicare.

14 Quinta. Dubitans num ante vel post horam duodecimam comederit, certo scit se fuisse idoneum & jejunum hora ante primam noctis: ergo non tenetur amplius probare, quod postea fuerit idoneus & jejunus, sed satis est, quod sciat se fuisse idoneum. Probatur in tali casu idoneitas & aptitudo est in possessione, cujus in dubio melior est conditio.

15 Sexta. Qui scit, se heri non fuisse irregularem: & dubitat, num hodie evaserit irregularis,

potest supponere, se non evasisse irregularem.

Septima. Juxta Legem primam de probationibus facta non præsumentur, sed probari debent: ergo cum sumptio cibi sit factum, non erit hæc præsumentanda, sed probanda: cum tali dubitanti faveat privilegium possessionis, donec probetur comestio.

Octava. In dubio irregularitatis possum suscipere Ordines: ergo &c.

Nona. Lex Ecclesiastica præcipiens jejunium naturale volenti sacram Communionem accipere non videtur tam arcte, & in dubio quoque obligare. ergo &c.

Decima. Demum ratio in utroque casu licentiam communicandi concedens est auctoritas, illam enim concedunt Layman. lib. 1. tract. 1. c. 5. Baun in auctario casuum. Bonac. Diana p. 3 tract. 4. Resp. 29. Joannes Sanchez in select. disp. 42.

Quodsi autem dubitetur de ipsa sumptione, an hæc interverit, non autem de tempore, an post vel ante horam duodecimam noctis illa contigerit, fa-

cultatem præter modò allatos concedunt Lugo *disp. 15. de Evchar. sect. 2. n. 42.* Tamburin. in *expedita Communione lib. 1. c. 2. §. 7.* Caramuel, Pasqualigo, Bardi, Dicastillo, Cardenas, Boss. Rayx, Diana, de la Croyx *num. 176.*

§. III.

Ad modò propositas rationes respondetur.

20 **A**D primo loco positam responderi potest cum distinctione: Homo Christianus habet libertatem communicandi, si suam dignitatem probaverit; concedunt: hac priùs non probatâ: negatur. Instantia habetur in susceptione SS. Ordinum, ad quam requiritur, ut volens initiari probet se haber omnia ab Ecclesia ad illos recipiendos requisita.

21 Ad secundam respondendo disparitatem inter has duas Leges, quarum una præcipit jejunium die Veneris, altera autem pro die sacrae Communionis, quòd prior homini jus suum acquisitum tollat, comedendi scilicet carnes, cum vo-

luerit; cum autem homo intendit communicare, intendit accipere aliquod beneficium: igitur illi non infertur injuria, si hoc negetur; nisi sufficienter probaverit, se omnibus ad illud accipiendum requisitis instructum esse. Libertas igitur & facultas comedendi carnes tamdiu est in possessione, quamdiu non habetur certitudo de obligatione præcepti subsequenti, hæc ipsa responsio diluit rationem in confirmatione adductam.

In tertio loco adductam rationem ex eo nihil probare ostendunt, quia superveniens matrimonio bona fide contracto de hujus valore dubium propterea non auferre usum illius dubitanti conjugii, nec petitionem debiti conjugalis impedire potest, quia dubitans acquisitum ad istud justitiæ jus possidet, quo in dubio spoliari nequit: ex opposito collatio Evcharistiæ est quædam donatio, ac beneficium, ad quod fidelis nullum justitiæ jus prætere tendere potest.

In quarto. Adversariorum fundamentum negari potest, cuilibet competere jus ad sacram Com-

mu

munionem, nisi sciat, sibi esse illam prohibitam, cum enim lex Ecclesiastica ad licitam Communionem in suscipiente ieiunium naturale tanquam conditionem, & necessariam qualitatem exigat, non sufficit merum dubium de præsentia hujus conditionis habitum. Quod confirmatur à pari: Si Petrus legatum suo consanguineo fecerit, ut quis ad hoc prætereundum quoddam jus possit, non sufficit, quòd talis de sua consanguinitate dubitet, sed hanc probare debet.

24 In quinta ratione conceditur, quòd talis certò sciat, se fuisse jejunum ante horam primam noctis; negatur tamen, quòd ipsa idoneitas & libertas communicandi sit in possessione: cum enim juxta Menochium *consil. 35. & cons. 1. num. 121.* qualitas non præsumatur, sed probanda sit, jejunium autem ut qualitas ad recipiendam sacram Communionem ab Ecclesia sit requisita, ideo hæc erit in possessione, & ipsius præsentia probanda.

25 Ad sextam. Cum irregularitas vel proveniat ex delicto, vel ex defectu quodam, hinc si heri scivi, me nullum defectum ha-

buisse, dubitem autem sequenti die, possum me resolvere etiam hodie me ab hoc defectu immunem esse, & non irregularem, quia nullam prudentem rationem habeo de contrario. Si loquamur de irregularitate ex delicto, constat ex decisione ipsorum jurium, neminem in tali dubio se debere pro irregulari habere, nisi certo constet de commisso delicto, & de hac pœna tali delicto imposita. Ecclesia econtra decidit à sacra Communionem excludendos solos illos esse, qui sciunt se non esse jejunos.

Septimo loco ex *Lege 1. de probationibus* adducto textui: *facta non præsumuntur, sed probari debent.* Opponitur, quòd unusquisque probare debeat fundamentum sue intentionis, aliàs succumbet. *Lege Ei, qui dicit. ff. de probationibus. Lege Actor, quod esse asseverat. Cod. eod. Lege. qui accusare. Cod. de edendo.* Cum ergo fundamentum exigentis communionem ab Ecclesia sit esse jejunum, hinc ista qualitas volenti recipere sacram Synaxin erit probanda.

Ultima ratio fuit, quòd hæc jejunium præcipiens Ecclesiasti-

ca lex non sit adeò strictè obligans, ut etiam dubitans sit à sacra Communione exclusus, sed cùm Ecclesia sit pia Mater tam severè suos fideles obligare noluit, solos excludere, qui sciunt, & probabiliter judicare possunt, se non ampliùs jejunos esse.

Tota igitur hæc controversia ex hoc principio videtur desiderare, an scilicet supponere de mente Ecclesiæ debeamus, etiam in dubio tali esse abstinentium, an soli scientes se non esse jejunos à sacra Communione sint arcendi. Hoc enim ultimo supposito in dubio Lex Ecclesiastica non ampliùs obligabit, & hinc nulla irreverentia Sacramento exhibebitur: cùm hoc præceptum non sit impositum dubitanti, sed certò scienti, se non esse jejunum, ut Gobatt in *Alphab. communic.* docet num. 280. cùm enim hoc præceptum sit negativum de non ponenda actione comestionis, vel potationis ante Communionem, hinc non istud præceptum videtur esse in possessione, sed potiùs communicans in possessione suæ licentiæ, quamdiu non probatum fuerit actionem contrariam huic legi fuisse positam.

Hinc Tamburinus in *expedita Communione lib. 1. c. 2. §. 7.* asserit propter autoritatem Doctorum stantium pro sententia benigniore, esse probabile existimandum, quòd liceat communicare, & quando nescitur, an aliquid comederit, vel non; & quando certus est, quòd comederit, nescit autem utrùm ante vel post mediam noctem.

Patri Tamburino accedunt Layman, Baun, auct. casuum, Bonac. Diana *parte 3. tom. 4. Resp. 29.* Sanchez Joan. in *select. disp. 42.*

Præsumptio hæc de bona & benigna mente Ecclesiæ etiam confirmari ex eo poterit, quòd ista in laxanda hac lege Ecclesiastica valde liberalis sit, uti ex pluribus circumstantiis, in quæ non jejuno legere sacrum, vel sacram Synaxin accipere permittit, patet.

Supposito autem, quòd Ecclesia solos scientes, se non esse jejunos, non autem circa hoc dubios à sacra Synaxi excludat, rationes pro severiore sententia facile dilui poterunt, ut constabit illos expendenti,